C minant esse Dioscoridis Phu, quòd omnia ferè sic illi respondeant, ut prorsus nulla reclamare nota uideatur. Folia nancꝫ huius cum primùm erumpunt Elaphoboſci præ se ferunt imaginẽ: postea uerò dum adolescit in Olusatri modum laciniantur. Caulis quocꝫ eius cubitalis, & maior (nõ enim rarò ad trium cubitorũ longitudinẽ caulis à nobis uisus est) læuis, potissimũ in infima eius parte, deniqꝫ tener, purpurascens, in medio cõcauus, geniculatus. Flores eiusdem qui summis caulibus emergunt, Narcissi certam exprimunt effigiẽ, quamuis minores sint, atqueadeo teneriores. Vt hoc nomine cum Ruellio in grẽcis codicibus Dioscoridis ἥσσονα pro μείζονα legendum esse putem. Nisi quis existimet Phu Ponti, quod Dioscorides potissimũ describit, fauentis cœli beneficio maiusculos habere flosculos. Prædicti etiã flores aceruatim coëuntes in purpuram candicant. Radices quocꝫ in superiore parte minimi digiti crassitudinẽ obtinent, multasꝙ radiculas obliquas, Schœni, aut nigri Veratri modo sibiꝑ ipsis implicitas, subflauas, odoratas, Nardum, cum uirosa tamẽ grauitate, imitantes. Quum itacꝫ hæ omnes notæ, Valerianæ nostrę respondeant, multorumꝙ cõsensus nobis subscribat, & facultates eius quas illi recentiores tribuunt, planè cum ijs quæ Dioscorides Phu adscribit cõueniant, quid impediat cur non certò affirmemus Valerianam hanc uulgarem esse Phu Dioscoridis non uideo, præsertim cum manuscriptus etiam herbarius Phu esse Valerianã apertè doceat, ita ut mirari satis non queam cur aliquot docti uiri in Germania nostra diuersum astruere uoluerint.

Phu Ponti.

LOCVS.

Nascitur in humectis locis, & prope aquas, hæcꝙ ad mirandã altitudinẽ surgit. Prouenit etiam in lucis & cæduis syluis, sed hęc in tantam proceritatẽ non emergit.

TEMPVS.

Floret integra æstate.

D TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse in secundo ordine tradunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Phu calefacit. Sicca pota urinã mouet. Potest idem & decoctum eius, Ad lateris dolorem prodest, Menses ducit, & antidotis miscetur.

EX GALENO.

Odorata quodammodo est huius herbæ radix, Nardo uiribus similis, sed tamen ad plurima infirmior. Vrinam plus mouet quàm Indica aut Syriaca Nardus, similiter autem ut Celtica.

EX PLINIO.

Radix Phu datur potui trita, uel decocta ad strangulationes, uel pectoris dolores, uel laterum. Menses quoque cit. Bibitur cum uino.

APPENDIX.

Magni Phu radice hodie multi, magno cum errore, pro calamo aromatico utuntur, quod hoc in loco monere placuit.

DE PHACO. CAP. CCCXXIX.

NOMINA.

Lens. ΦΑΚΟΣ, ἥ φακὴ Grẽcis, Lens & Lenticula Latinis dicitur. Officinis & herbarijs latinum nomen retinuit. Germani Linsen appellant.

FORMA.

Lens racemosum legumen est, foliꝭ Viciæ, sed minoribus, floribus exiguis in candido purpurascentibus, siliquis paruis, molliter in latitudinẽ fusis, in quibus tria aut quatuor grana, inter legumina minima, sunt.

LOCVS.

Prouenit passim in agris satum.

TEMPVS.

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRARY